
tum

MH
102.1
Sch8


HARVARD UNIVERSITY
ARNOLD ARBORETUM
PRESENTED ~ BY ~ CHARLES ~ SPRAGUE ~ SARGENT
1892

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/dissertationemin1744schu

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM CHYMICO-MEDICAM

NONNVLLA AD

CAMPHORAM

SPECTANTIA SISTENTEM

ANNVENTE SVMMO NVMINE

ET AVCTORITATE GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

D. D. IOAN. HENRICO SCHVLZE

MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM ET PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM ET PETRIPOLITANAE VT ET REGIAE SCIENTIARVM SOCIETATIS BEROLINENSIS SODALE ORDINIS MEDICI NVNC DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

Ad. D. FEBR. ANNI MDCCXLIV. 1744

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

AVCTOR ET RESPONDENS

LVDOVICVS WEBER

LINDAVIA-ACRONIANVS.

HALAE MAGDEBVRGICÆ

Litteris IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

EGREGIIS

S. R. I.

REIPVBLICÆ LINDAVIENSIS

PRAÆFECTIS

TVTORIBVS SVIS VIGILANTISSIMIS

VIRIS PERILLVSTRIBVS MAXIME STRENVIS, CONSVLTISSIMIS

CONSVLIBVS
PRÆTORI
CONSILIARIIS

INTIMIS

SYNDICIS

AC

SENATORIBVS

PATRIBVS PATRIÆ LONGE MERITISSIMIS

DEFENSORIBVS PVPILLORVM INDEFESSIS

AMATORIBVS SCIENTIARVM LAVDE DIGNISSIMIS

DOMINIS OMNI QVA DECET RELIGIONIS

ET

HONORIS CVLTV ÆTERNVM

OBSERVANDIS

PRÆ-

PRÆSENTEM

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

INTER ARDENTISSIMA VOTA

PRO EORVM

PERENNANTI CVIVSVIS GENERIS FELICITATE

NEC NON

IN GRATI ANIMI DE TVTELA CLEMENTI

PONENDVM MONVMENTVM

ET AD

VLTERIOREM SVI COMMENDATIONEM

OFFERT ET DICAT

TANTORVM NOMINVM

Cliens & Civis obſequioſiſſimus

LVDOVICVS WEBER.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS CHYMICO-MEDICA

NONNVLLA AD

CAMPHORAM

SPECTANTIA SISTENS.

PROOEMIVM.

MAgnus quidem authorum adeſt numerus, qui partim in tranſitu quaſi ac obiter tantum, partim vero ex induſtria & propoſito, de analyſi camphoræ chymica, effectibus illius medico-clinicis & chirurgicis egerunt, multaque utilia nobis communicarunt: res tamen minime eo deducta eſt, ut omnia, quæ paſſim notata legimus, ulteriori additamento non indigeant. Tantum enim abeſt, ut omnia hic exhauſta ſint, ut potius ſub judice adhuc lis verſetur, quid camphora ſit, ſeu quibus verbis illa definienda. Præterea nondum ubique edoctum eſt, quomodo ſenſibilibus ſubjectis poſſit adplicari, ne moleſtam inde accipiant ſenſationem. Plura alia jam non attingam. Equi-

dem lubentiſſime confiteor, me in præſenti tractatione ne mihi quidem, nedum aliis, ſatisfeciſſe. Nemo ergo a me exſpectet, quod cuncta extra omnem dubitationis aleam ſim poſiturus. Interim, quæ probabiliora ſunt mihi viſa, conſcripſi, ſimul autem talia, quæ conſtanti obſervatione ſunt confirmata, adjeci: exiſtimans, operæ eſſe pretium, ea, quæ experientia hac in re docuit, auſcultatio retulit, lectio & meditatio ſuppeditavit, ſpeciminis loco in lucem proferre. B. L. ſibi perſuadeat, accuratam attentionem tam in laboribus chymicis, quam in medicis rebus me adhibuiſſe, quapropter benignum de opuſculo noſtro ferat judicium. Summus vero artium magiſter rerumque omnium moderator faciat, ut quævis cedant in ſanctiſſimi ſui nominis gloriam atque ægrotorum emolumentum.

CAP. I.

CHYMICE CONSIDERANS, AN CAMPHORÆ NOMEN OLEI COMPETAT?

§. I.

Priusquam ad hanc quæſtionem reſpondeo, nemini adverſum fore judico, ſi relationem hiſtoriæ, quæ ad thema hujus diſſertationis primum inſtinctum

ſtinctum concitavit, præmiſerim. Cum artis pharmaceuticæ cauſa Dresdæ in officina clariſſimi & experientiſſimi viri D. IOH. DAV. BEYLICH commorarer, ab hoc Patrono mihi demandabatur, ut ramos & folia camphoræ, ex horto quodam nobis transmiſſa & ab arbore recens decerpta, deſtillanda ſuſciperem, & quævis in hac operatione evenientia rite obſervarem. Poſt inſtitutam ergo conciſionem, affuſionem debitæ quantitatis aquæ, mane veſicæ juncturas luto obduxi, excipulumque roſtri alembici orificio adjunxi. Admoto igne camphora in ſubſtantia ſua albicante, ſed molliori, prodibat & parietibus vaſis recipientis, ad inſtar ſalis volatilis, craſſioribus licet fruſtulis, adhærebat. Cumque quantitatem magis magisque auctam viderem, per totum diem ignem alebam, donec nihil amplius aſcenderet. Deinde vitrum, cui novum productum inhærebat, auferebam ac una cum domino jam nominato mixtum, aquæ deſtillatæ innatans, ope parvi cochlearis removebam. Poſtea aliquid aquæ camphoratæ effundebam, ut eo commodius per agitationem latera vitri repurgarem. Hoc peracto omne ſolidius ſolertiſſime collectum exſiccationis cauſa per linteum piſtillo æneo, forti manu adhibito, in mortariolo exprimebamus. Hac opera ex maſſa noſtra cum portione aquoſa oleum cogebamus fluidum, quo ſervato productum, nondum ſiccum, chartaque bibula involutum, premendo in vaſe dicto vexabamus. Quum autem deſiderio noſtro ob humiditatem oleoſam hac ratione ſatisfacere nequiviſſemus, novam ſed lenem ignis admotionem ad

ple-

plenariam olei ſeparationem agnovimus neceſſariam, quæ indubie votis noſtris reſpondiſſet. Quoniam vero pondus acceptæ camphoræ uncias duas & ſemiſſem non ſuperabat, plus temporis & ſubſtantiæ illius perdere nolentes in vitro probe clauſo eam aſſervavimus.

§. II.

Novimus quidem, quod in Iapania operatio camphoræ in lebete ferreo, cui capitellum intus ſtramine conſtratum adaptatur, inſtituatur; Radices inſuper nec non truncus cum ramis & foliis ad confectionem ejus recipiantur: conf. *Lectiones* NEVMANNI *de Camphora*. Si quis exinde cogitaret, in labore noſtro duas has circumſtantias non fuiſſe obſervatas, atque ita de veritate aſſertorum mox ſequentium dubitandum eſſe, illi reſpondeo, quod vaſa Iapanenſium majoris tantum commodi cauſa ſint inventa, noſtra autem ad mutationem ipſius rei nihil contribuant: Camphora quoque per totam plantam ſit diſperſa, conſequenter ex foliis & ramis parata eandem indolem & eſſentiam cum ea, quæ ex radicibus & trunco elicitur, poſſideat.

§. III.

Duæ proprie dantur arborum camphoriferarum ſpecies, ex quibus productum noſtrum elaboratur. Denominationem a locis natalibus tulerunt. Prima dicitur Arbor Sumatrana foliis caryophylli aromatici magnis, carnoſis, anterius acutis: Altera Iaponica foliis laurinis tenuioribus, mollioribus, quam KÆMPFERVS laurum camphoriferam vocat: vid. BLAN-

CARDI

CARDI *Lexic. medic.* Ex poſteriori camphoram educere mihi contigiſſe innuo, dum figura foliorum, lauri ſcilicet foliis ſimillima, ejus verum characterem prodidit. Productum quoque hujus arboris eſt camphora officinarum, uti CASP. BAVHINVS ediſſerit.

§. IV.

Superfluum opus eſſe cenſeo, plura de hiſtoria camphoræ naturali allegare. Polyhiſtor enim noſter Hallenſis D. D. ALBERTI Diſſertationi de ejus circumſpecto uſu medico 1722. habitæ ſufficientem ſcriptorum addidit numerum, qui circa illam occupati fuerunt. Nec quicquam de variis eruditorum, qui in definitione illius ſudarunt, opinionibus proferam, quia jam citatus in chemicis ſagaciſſimus D. NEVMANNVS fuſius illas pertractavit & errantes ſolide refutavit. Sententiam tantummodo quandam denuo revocatam & argumento mox aperiendo probabilem redditam, producam, & quod de certitudine illius effati merito dubitandum ſit, indicabo. Antea autem me ſincere profiteri decet, quod debitam in nobiliſſimam authoris perſonam æſtimationem retinuerim.

§. V.

Sed in eo conſiſtit repetita contrariæ ſententiæ propoſitio, camphoram nimirum eapropter oleum coagulatum eſſe definiendam, quia varia olea deſtillata vera e. g. ol. menth. majoran. cochlear. carvi, roriſmarini &c. quando inveteraſcunt, & ſubtiliſſimum ex illis exhalavit, per ſe in camphoram convertuntur. Ad quam ſententiam eam ob cauſam non accedo, quæ me certum facit, poſt exhalationem olei mi-

nime novam exortam eſſe ſubſtantiam, ſed viſibilem ſolum apparentiam camphoræ, durante deſtillatione jam eductæ, initium cepiſſe. Oleum autem deſtillatum in prædominio adfuit, quare parva camphoræ quantitas ſub deſtillatione facillime ſolvi, & in ſtatu ſoluto tamdiu perſiſtere potuit, donec illa menſtruo ſuo eſt privata. Id quod non aliter ac per longum temporis tractum fieri potuit, dum ſeparatio olei ſubtilis, ob vitra optime clauſa, tarde ſucceſſit, atque ita camphoræ ſubſtantia, propter magnam cum oleis quam habet affinitatem, ſemper latitavit, usque ad illud ſcilicet tempus, quo a vinculis ſuis eſt liberata, & ei quaſi conceſſa, ut in conſpectum prodiret.

§. VI.

Sequentes autem rationes illuſtrabunt, camphoram, etſi multum cum oleis conveniat, tamen adhuc ſatis magnam ab illis differentiam in ſinu ſuo fovere. Inſimul, quæ in enarratione proceſſus §. 1. deſcripti deficiunt, compenſabo, & experimenta cum camphora vulgari inſtituta ſuperaddam, ut fundamentum rationalis dubitationis eo magis probetur. Diſcrepantiam maximam ab oleis itaque confirmo

1. quia viſui non obtrudebatur, donec refrigeratorium valde calidum & aqua eam concomitans fere fervida erat. Equidem me non fugit, nonnulla quoque olea ætherea, in ſpecie ol. ligni ſaſſafras, caryophyllorum, cinnamomi, majorem ignis, propter peculiarem gravitatem, expoſcere gradum: ſed hic ſemper minor eſſe poteſt, quam ille, qui ad eductionem camphoræ eſt adhibitus.

2. Sub

2. Sub primordio ſtatim adventus ejus non in conſiſtentia oleis ſimili, aqua licet calidiori, apparuit, ſed in forma ſolidiori, quæ tamen ob connexionem olei aliquantum mollis erat & fruſtula ſalina æmulabatur.
3. Igne intenſiori per totam deſtillationem continuato, camphora in eadem fervida aqua deſtillata ad ſtatum fluidum, oleo eſſentiali competentem, non pervenit, atque ita primam, quam præſentavit, faciem non exuit.
4. Exſiccatio fieri nequit, donec omne impedimentum, oleum nempe liquidum, plurimum eſt remotum. Inſuper quod camphora & oleum deſtillatum non ſimilem habeant indolem, oſtendit
5. Camphoræ officinarum ſublimatio; in qua ſingularia lepida ramenta & ſpicula inſtar florum ſcil. aſcendunt, cujusmodi a nullo unquam oleo expectanda ſunt, & in tales rarefactos flocculos non ſolum aliqua camphoræ pars, ſed tota ipſius ſubſtantia, immutari poteſt.
6. Spiritus vini, valde phlegmaticus, camphoram penitus ſolvit, olea autem deſtillata Alkohol Vini ad perfectam requirunt diſſolutionem.
7. Non ſolum aqua tepida & fervida ſed nec bulliens & quidem in vitro veſica munito, camphoram fluidam per ſe non reddit, & in conſiſtentiam, quæ ad oleum æthereum eſſentialiter quadrat, redigere poteſt. Quid, quod illuſtri WOLFIO, cum in collegio phyſico-experimentali ſpiritum vini camphoratum per Æolipilam in au-

ram ſpargeret, contigit, ut camphora, durante ſpiritus vini deflagratione, orificio hujus machinæ adhæſerit, & a flamma illam immediate lambente minime ſit liquefacta, donec poſt conſumtionem ſpiritus vini incendium camphoræ initium ceperit, & ſeorſim mediante illo abſumta fuerit. Olea vero deſtillata, e. gr. ligni ſaſſafras, etiamſi per iteratam decantationem & congelationem ſolito majorem acquirant duritiem, levi tamen calore ignis aut aëris æſtivi accedente iterum priſtinum fluiditatis accipiunt habitum.

§. VII.

Cætera ex lectionibus D. NEVMANNI petenda ſunt argumenta. Ulterior autem methodus ſublimandi a Batavis inſtituta, in diſſertatione inaugurali D. CHRISTIAN. HEINRIC. HÆNELII Lugduni Batavorum edita, & in nova publicatione operum & prælectionum B. Neumanni a D. D. IO. CHRIST. ZIMMERMANNO 1740. vulgata legitur. Ut autem nunc meam explicem mentem, dico, camphoram mediocrem quidem adhuc in ſe habere olei quantitatem, atque omnibus illis, quibus olea gaudent, partibus conſtitutivis eſſe præditam, ſimul vero tanta particularum terreſtrium copia abundare, ut ob hanc ab illis abſcedat, miſcela & proportione valde diverſa ſeſe ſiſtat. Quamobrem jure meritoque confirmo, camphoram perpetuo ſolidum, fragile & plane peculiare productum eſſe inflammabile, plurimis oleis gravius, paucis vero levius.

§. VIII.

§. VIII.

Ultimo loco ſilentio præterire non poſſum, oleum illud a camphora ſeparatum colore, odore, & ſpeciali illo effectu, a quo ex adplicatione olei cajeputi ad tempora facta claritas oculorum & roboratio illico ſentitur, ſpeciem modo nominati olei accurate ſatis exhibuiſſe, quod eo magis notare volui, quum de hoc oleo, præter iſta, quæ in *commercii litterarii phyſico med. Norimberg.* diverſis ſectionibus leguntur, pauca publice proſtent: affinitatem autem illam cum camphora ibi notatam fuiſſe non meminerim.

CAP. II.

DE VSU CAMPHORÆ IN FEBRIBVS.

§. I.

Animus quidem fuit, præſens caput eapropter ſicco pede tranſire, quia excell. D. D. ALBERTI, præceptor meus ſubmiſſa mente ſemper colendus, potiora momenta in diſſertatione initio citata jam allegavit, rem ibique ita pertractavit, ut ſuperfluum fere æſtimaverim negotium, plura annectere. Interim cum de variantibus ejus effectibus ſæpe accipiamus teſtimonia, hæc, & ipſa fini modo laudatæ diſſertationis appoſita verba, calcar adjecerunt, mentem mutare, & de uſu illius in febribus ſolum, ad uberiorem illuſtrationem quædam ſignificare. Cui autem de camphoræ virtute atque indicationibus opiniones easque varias legendi cupido ineſt, evolvat D. IO. RVD. CAMERARII, *ſyllog. memorab. me-*

dic. Cent. IV. Partic. XLIX. L. GLADBACHII *prax. medic. p. 62. ſeq.* D. ZIMMERMAN *in annot. ad lectiones Neumann. de Camphora.* D. G. E. STAHLII *Colleg. caſual. maj. p. 296.* RICHTER im Unterricht p. 1003. ubi mixturam ſimpl. in febribus petechialibus eam quoque obcauſam agnoſcit noxiam, quia camphora illam ingreditur. Illuſtr. IVNCKER. *Therap. gener.*

§. II.

Repetere fruſtraneum non erit, in omnibus affectibus, qui camphoræ locum concedunt, eam in exiliſſima portione, a grano ſcilicet dimidio ad unum & alterum, propinandam & in minima motuum augmenti obſervatione admodum caute medicum ſe gerere, ut largiori nitri quantitate camphoram commiſceat, vel ab ejus uſu, præprimis, quando motus magis magisque increſcunt, manum abſtrahere conſultius eſſe ducat, ne vis calefaciens, commovens, noxam difficulter emendabilem inferat.

§. III.

Febres, in quibus Camphora in uſum vocari poteſt, ſunt quidem intermittentes. Initium curationis autem cum illa minime eſt faciendum, alias impuritates in primis viis hærentes, & cauſam materialem conſtituentes, crudiores magis exſiccantur, ſubtiliores in maſſam ſanguineam transferuntur, motusque ita alterantur, ut febris continuæ ſchema periculoſum certe introducatur. Sed tum demum medicamen noſtrum ordinetur, quando poſt continuatam digeſtivorum, laxantium & temperatorum alexipharmaco diureticorum, quæ excretionibus ſubvenire

nire debent, remediorum aſſumtionem, atonia ventriculi & inteſtinorum metuenda, ac reſtitutio toni eſt neceſſaria. Eſſentia vero quævis ſtomachica amara eundem præſtat effectum.

§. IV.

Quod attinet ad febres continentes, camphora in illis minimi eſt uſus. In febre enim ephemera hæc, ut omnia calida alexipharmaca, ſummas anxietates, imo ſudores colliquativos producit. Hinc quando omnino alexipharmaca adhibenda cenſentur, ſint illa temperatiſſima. Prius autem non in uſum trahantur, quam ſi excretio halituoſo-ſudorifera legitimo tempore non ſuccedit. Idem illud valet in febre ſynocha ſ. ſimplici, ut inflammationes nempe viſcerum præcaveantur. Immo temperata etiam alexipharmaca, in febre hacce, ſi venæſectio præceſſerit, reponantur. Quando autem venæſectio non inſtituta eſt, tum ipſa alexipharmaca, temperata tamen, bis de die, nempe ingruente & media nocte, ſine regimine adhiberi poſſunt. Hic mixtura ſimplex, in qua ob præſentiam ſpiritus vitrioli efficacior camphoræ vis deprimitur, uſurpetur, per reliquum vero tempus, pulveres nitroſi temperantes interponantur.

§. V.

Camphora in febribus continuis benignis, ſub exitu paroxyſmi, & tempore, quo acutarum impetus paululum remiſit, non tamen proxime verſus novum inſultum, exhibeatur, ne ab indole ſua leniori recedant & cum vehementia tam frigoris quam æſtus inſultent, Sed malignæ propinationem eius in incremento

mento præcipue ad ſtatum usque ſuſcipiendam, ob eventum plerumque contrarium, vetant. Cum enim in hiſce febrium ſpeciebus motus utplurimum materia ſint pejores, dum in omiſſione illorum ſingularis quædam malignitas ſe prodit inſidioſa, præſtat, motorem corporis organici cum nitroſis, lenibus diapnoicis & analepticis temperatis medicamentis demulcere, quam incertam acceptionem oblati medicamenti, imo tædioſam recuſationem, ab illo expectare. Poſt felicem vero harum febrium decurſum, & in earum declinatione, uſus camphoræ per tempus aliquod ideo continuari poteſt, quia ſemper aliquid eliminandum reſtat. In variolis autem & morbillis plane non niſi externe, ad foveas in facie præoccupandas, cum oleo ovorum mixta eſt proficua: pro infantili enim ætate leniora ac tenera perpetuo eligenda ſunt medicamenta.

§. VI.

Inflammatorias continuas nunc leviter percurram, & quoniam tales ex illis comperimus, quæ in locis medicamentorum tranſitui propius, imo immediate dicatis materialem reſpiciunt cauſam, in eiusmodi febribus, ut cholerica, paraphrenitide, angina vera, camphora eam ob rem locum habet, quo certius partes in hiſce regionibus affectas attingit, & vim ſuam potentiſſime reſolventem & diſcutientem exſerere valet, ut ita felix ſtaſeos remotio ſit ſperanda. In hepatitide, ſplenitide, phrenitide externe quidem optime, nullo modo vero in nephritide, propter nimiam renum ad diureſin promotam ſtimulationem conducit,

interne

interne adſumta ſanguinis vehementiſſimam commotionem orgaſticam concitaſſe, neque tamen directe multa ad rem ipſam contribuiſſe experientia eſt teſtata: quocirca dimidium modo granum pro doſi, cum largiori nitri quantitate remixtum, concedendum erit. Vel ad ſcopum diſcuſſionis, quæ hic univerſum abſolvit negotium, citius obtinendum mixtura ſimplex leniter camphorata loco remedii diuretico-diapnoici propinetur. De cætero Medicus oblivione nunquam ſepeliat, quod maxima cum circumſpectione & modeſtia illam uſurpare debeat.

§. VII.

Brevibus adhuc nonnulla de peſte allegabo. Sane ſi in vllo morbo, certe in hac acutiſſima febrium ſpecie, nimium camphoræ uſus externus & internus deprædicatur. Equidem alexipharmaca temperata & inter ea mixtura ſimplex leniter camphorata, indicationi excretionis periphericæ ſatisfacere idonea ſunt, atque idcirca receutiorum famoſæ tincturæ bezoardicæ, quatenus mixturam hanc ſimplicem pro baſi habent, laudem ſuam merentur: camphoræ autem quantitas, quæ vulgo in illis recepta eſt, approbari nequit, quia fervidos in corpore edit effectus, & methodus lenior, longe ſecurior, naturæ laboranti acceptior obſervata fuit. Vide D. KANOLDI Schreiben einiger Medicorum Breſl. 1711.

CAP. III.
DE CERTIS ENCHEIRESIBVS, QVIBVS CAMPHORA SENSIBILIBVS APPLICABILIS REDDITVR.

§. I.

Quam arctis limitibus clinicus camphoræ uſus eſt circumſcriptus, tam amplum ille in chirurgicis obtegit campum, & ſi dicendum quod res eſt, præter inflammationes in partibus nervoſis, ligamentoſis & tendinoſis exortas, (conf. Exc. D. BASSII, *MSC. Chir. Sect. III. C. III. Cautel. 4.* cui ob fideliſſimas chirurgicas informationes multum debeo,) & in operationibus manualibus & in chirurgia medica perpauci obveniunt caſus, in quibus cum ſingulari fructu non adhibenda ſit. Licet enim fatear, proxime eam ad mundificationem, coctionem, conſolidationem in tumoribus, ulceribus, vulneribus parum conferre, remotius tamen autocratiam naturæ egregie ſublevare compertum eſt, ita ut, ſi mature uſurpetur, dolores mox mitigentur, corruptio ſubnaſcens, mediante reliquorum humorum vegeta appulſione & transpreſſione per partem affectam, intercipiatur ac diſſipetur, coagulatæ moleculæ alluendo & abradendo diſſolvantur, abſtergantur, longiſſime dimoveantur, auferantur atque hac ratione per negotium diſcuſſionis quæſitus impetretur finis, affluxus videlicet nimius cohibeatur, debitus tantummodo, moderatus, conſtans, in cuius conſervatione princeps therapiæ externæ momentum conſiſtit, remaneat, & vaſorum tonus deperditus reſtituatur.

§. II.

§. II.

Verum enim vero; quid iuvat, eximias camphoræ virtutes multum extollere, dum plurimi quidem applaudentes fatentur hoc remedium vi ſua excitante, diſcutiente & roborante, palmam omnino aliis præripere, verum maximam ſimul adiunctam percipiamus querelam, perſæpe peculiarem idioſyncraſiam, ſenſibilitate perſonali innitentem, ac adverſum aliquibus viſum odorem, eius uſum plane rejicere. Ex officio inde medici eſt, vt quovis modo rei conſulat, & quæ ad ſalutem ægrotantium pertingere poſſunt, curæ cordique habeat. Quod contemplans modum indicare, ex modulo virium, mecum conſtitui, quo ſubiecta teneriora receptivitate amica, quæ in quavis medicamentorum adplicatione magis quam operatio ſecundum qualitates phyſicas perpendenda eſt, frui poſſint.

§. III.

Tumores inflammatorii autem ex una parte occaſionem præbeant, methodum adhibitionis oſtendendi. Nimirum in individuis ſenſibilibus prudenti ſtudio cavetur, ne immediate ſtatim loco affecto imponatur camphora, ſed hac cautela adhibetur, ut per initia eminus tantum, nempe ad peripheriam partis inflammatæ adplicetur & deinde, ſive in forma ſicca, ſive cum ſpiritu vini ſoluta, ſeu cum radicibus reſolventibus, farinaceis & ſaturninis mixta, ſit in uſum vocata, magis magisque ad centrum appropinquetur, atque in hac tamdiu adplicatione pergatur, donec commoda ſtaſeos discuſſio ſit obtenta. Sed primo

 omni

omni opera eo eſt nitendum, quo ſpiritus vini ſit rectificatiſſimus, alias non tota ſtaſis, ſed ſanguinea ſolum portio diſcutitur, & tumor valde contumax relinquitur ſeroſus: ſecundo operam det chirurgus, ut diſquirat, an recens adhuc ſit malum, nec ne. Nimis ſero enim adhibita camphora ſcopo diſcuſſionis non ſatisfacit, ſed exorta colliquatio ſuppuratoria digeſtivis promoveatur & in ambitu tantum camphorata uſurpentur.

§. IV.

Vel tentari poteſt, an per adplicationem cum ſpeciebus ſine camphoræ additione compoſitis alternantem medicamen noſtrum naturæ fiat gratum. Cum enim iam gravia adſint ſymptomata, ardor ſcilicet & dolor, ſtudeamus, ne una vice nimias illi creemus moleſtias. Exinde ſi ab initio eam recuſaret, camphora in proxima ſpecierum vel pulverum applicatione omitti poteſt, in tertia vero iterum eam adhibere non incongruum erit, & ſic tamdiu periclitandum, usque dum accipiatur.

§. V.

Denique ex altera parte dolores capitis hyſtericarum continui, quos vocant Ihr *ordinaires*, anſam ſuppeditent, ſermonem faciendi, quibus mediis camphora, hanc averſantibus fœminis, amica reddi poſſit. Sexus ſequior præ potiori maxime maiori affecta eſt ſenſibilitate, cauſam inferente, ut camphora in ſpiritu vini ſoluta temporibus illita & vertici inſtillata

lata interdum, & in ſpecie ſi interna debite ſint præmiſſa vel coniuncta, paucis momentis dolores abigat. Sed aliud obſtat impedimentum, quo minus læ-tos ex illius uſurpatione experiri queant effectus. Penetrans nempe odor in culpa eſt, quod egregium hocce remedium perferre haud capaces ſint. Ne autem efficacia eius penitus priventur, nares illarum goſſypio ſunt obturandæ, vel hypocauſtum ſuffitu, eiusmodi teneris accepto, eſt perfumandum, donec natura ſentiens ab hac unctione levamen, medium illud amore amplectatur: cui bono amabilis quoque allocutio & cum hilaritate coniuncta explicatio ſperandi optimi exitus, ſuum contribuat. Perfectiſſimus vero animæ & corporis medicus benedicat omnibus medelis, quæ cum camphora & aliis benigniſſime debili humano generi dono datis medicamentis intenduntur, ſimul pro auxilio ipſius divino humillimas accipiat gratias, atque mentem in hoc perpetuo conſervet, ut maximum eius nomen dictis & factis venerari, dum anima ſpirat, ſim ſollicitus & ex hoc fonte proximo inſervire nunquam

D. E. S. I. N. A. M.

VIRO IVVENI
PRÆCLARO ET EGREGIE DOCTO DOMINO CANDIDATO
LVDOVICO WEBERO
MVLTAM PRECATVR FELICITATEM
I. IVNCKER.

Qui e pharmacopolio ad medicinæ tribum ſe convertunt, in duas commode claſſes dividi poſſunt. Altera quidem, litterarum humaniorum adminiculo deſtituta, vix primoribus labris fundamenta medica attingit, & theſauro ſuo pharmaceutico nimium confidens ad honores doctorales dicto citius feſtinat, eaque ratione empiricorum multitudinem contumelioſe auget: altera autem ſtudiis ſcholaſticis imbuta doctrinam medicam ſolide addiſcit, & ex arte pharmaceutica haud mediocre commodum ad finem ſuum citius obtinendum aucupatur, aliisque in materiæ medicæ apparatu non ita exercitatis palmam interdum præcipere ſolet. Ad quam honorabilem claſſem TE, Candidate clariſſime, omni iure refero: cum inſigni enim animi dele-

delectatione recordor, quanto in ſtudiis fervore per triennium apud nos fueris, quantaque induſtria ad ſtruendam ſcientiam medicam animum applicaveris. Vnde factum eſt, ut nunc proprio marte diſſertationem TVAM inauguralem elaborare potueris. Præterea omnes, quibus curriculo TVO academico innotuiſti, bona fide teſtantur, quod optimæ indolis civem TE agnoverint. Quare honores doctorales, quos digne iam reportas, ex animo gratulor, Patriæque TVÆ Practicum, ad quævis officia paratiſſimum, indubitata mente augurari ſuſtineo. Vale. D. d. XXV. Febr. MDCCXLIV.

AMICE,
QVEM OB SINGVLAREM ANIMI CANDOREM IN OCVLIS GERO,
VSV FAMILIARITATIS FRATERNÆ MECVM CONIVNCTISSME.

De medicis e pharmacopolio, *Ill. STAHLIVS quid ſentiat*, *peculiare* propemticon inaugurale *ab eo editum docet; addam verba eius:* Non ſcripſi de medicis pharmacopolis, ſed e pharmacopolio, *ubi, cum,* incautiores pharmacopœorum certe argumen-

gumentantes, ſi hæc ſit ars illa medica, non imitari ſe ſolum illam facile poſſe, ſed plane comprehendere; *tum*, attentiores ex ipſa pharmacopœorum familia, vanitatem nudarum medicationum e pharmacopolio tacite aliquando ſecum admirantes, *ſatis acute diſtincteque depinxit*, *pergit*: Medicorum extra pharmacopolium diſpar eſt fortuna, qui pauciſſimis remediis non eadem quæ iſti pharmaceutici, ſed utiliora, & omnimodo optabiliora paſſim exſequuntur; &c. *B. Vir ſi adhuc in vivis eſſet, TE, FAVTOR AMICISSIME*, qui ſtudioſiori animi adverſione ad ea quæ non geri ſolum, ſed fieri quaſi coram expertus es, *illis*, de poſtremo numero *iure meritoque accenſeret. Sincerrima ſane qua præſtas modeſtia, admodum ægre ferret laudes, quibus TE extollere mihi competit, huic itaque parcendum eſſe duco; licet experientia ſuffultus, nihil a veritate alienum proferrem, Vlmæ enim, pharmaciæ olim ſtudioſus, TE collegam habui deſideratiſſimum pariter atque ſuaviſſimum. Non poteſt ergo TE, CONTERRANEE ÆSTVMATISSIME, latere, in univerſa quanta quanta eſt pharmacia haud raros dari caſus, qui ſæpius Practico-clinico, æque ac per eundem pharmacopœis, multum faceſſunt negotii, in præſcribendis & parandis formulis puta, dicam modo de debita conſiſtentia, in conficiendis bolis, decoctis, eclegmatibus, electuariis, emulſionibus, gelatinis, linctubus, maſſis pilularum, morſulis, mucilaginibus, rotulis, tabulis, trochiſcis, & quæ ſunt alia, quorum ſola perverſa commixtio & præparatio, ægris averſionem, faſtidium, atque nauſeam creare poteſt, ſingula hæcce incommoda, in TVAM, pharmacopolarum, imo & præcipue ægrotorum utilitatem atque emolumentum, quam optime evitare*

tare omnino edoctus es. TV COMMILITO OPTATISSIME, &, chemico-pharmaceutica medicamentorum elaboratione, &, perſcrutatione effectuum eorundem, iam longos per annos, in urbibus variis, atque inluſtrioribus germaniæ noſtræ locis, præſertim Berolini ac Dresdæ, ſtrenuum atque ſollicitum, TE indefeſſa comprobaſti induſtria, ad ſtudium medicum quum huc perveneris, tanta diligentia, ſedulitate & cuius ſum teſtis αὐτόπτης, qui ex oppoſito TVVS fui vicinus, multa quoque lucubratione incubuiſti, cum ſcias aſſiduitate opus eſſe, probe memor, verborum STAHLII: loc. cit. Tanto magis cum medicum artificium, revera tale ſit negotium, earum circumſtantiarum, diagnoſticarum, prognoſticarum, therapeuticarum, pharmaceuticarum, multiplici implicatione difficile, ut nemo certe quantum fieri poteſt, eius recte gnarus ultro ſeſe offerre auſurus ſit, cordatus, & a vanitate alienus, ſed vocationem etiam per individua, non aliter quam certe divinitus ſibi obiectam ſortem expectaturus, qua cum cura & memori divinæ gratiæ invocatione defungi debeat. *Nullus igitur dubito FRATER INTEGERRIME, quin accedentibus ſcientiæ TVÆ medicæ, pietate nimirum erga DEVM, animoque benigno erga alios, praxin TVAM dexterrime ſis exerciturus, divina eam ſecundante clementia. Cæterum honores quos capeſſis doctorales, TIBI animo ſumma lætitia perfuſo, grator, precibus iisque ardentiſſimis ſummum Numen fatigabo, ut ſalvus & incolumis patrios ad lares, TE flagrante deſiderio expectantes, pervenias, perpetua ſanitate, omnique felicitate fruaris. De reliquo, gratiſſimam meam mentem, pro inſignibus, quæ mihi contuliſti haud vulgaris amicitiæ, ſed eximiæ potius benevolentiæ, ſpe-*

nibus, quorum præclariſſimum edidiſti, cum duobus abhinc annis, purpuræ malignæ atrocitate vexarer, ſigillatim, ceu peculiare monumentum, ponam, idque germanico-ligato idiomate. Valeas, floreas, vigeas, & favere nunquam deſiſtas,

AMICE fideliſſime, Frater amantiſſime, Fautor æſtumatiſſime

Dab. e Muſeo
4. Cal. Mart.
MDCCXLIV.

TIBI

ad cineres usque obſtrictiſſimo atque in ſempiternum deditiſſimo

CHRISTOPHORO DAVIDI MANNO,
Reutlinga-Suevo. Med. Cand. OPPON.

Werther Freund! des Himmels fügen, heißt Dich itzund von uns zieh'n,
Weil ins künftig Dir Dein Glücke ſoll im Vaterlande blüh'n:
Nachdem Du durch Müh und Fleiß haſt den Ehrenberg erſtiegen;
Und der längſt verdiente **Huth** Dich nach Wunſche kan vergnügen.
Mache Dich deswegen fertig, tritt getroſt die Reiſe an,
Damit **Lindau** mit vergnügen Deiner ſtets genieſſen kan;
Eile mit beglückter Hand zu dem Bette aller Krancken,
Welche dereinſt Deinem Fleiß werden haben viel zu dancken,
Weil Dich weder Zeit noch Mühe daurt den Krancken beyzuſtehn,
Daß er mög vom Schmertz befreyt alsbald die Geſundheit ſehn.
Aller Patienten Gunſt wird erwünſcht ſich zu Dir neigen,
Wegen Deinem groſſen Fleiß und ſonſt freundlichem Bezeigen.
Wirſt Du künftig ſo curiren und dem Tod entgegen gehn:
So wird Fama Deine Thaten loben, rühmen, und erhöh'n.
Und wir werden **werther Freund!** von Dir mit viel Freud vernehmen,
Daß die Mißgunſt ſelbſten nicht könne Deinen Ruhm beſchämen.

Chriſtian Tobias Jäger,
S. S. Theol. Stud. Vlma-Suevus.

Ecquem

Ecquem Pœonios fontes puroſque ſequentem
Optato euentu fallere meta poteſt?
Non tuus internus finis modo, ſplendor inanis
Vera ſalus hominum ſola iuuanda fuit.
Inuicto medicas artes ſcrutatus amore,
Nunc iunctus ſemper cum pietate labor
Inſignem præbet, quo nunc ſpectaris honore,
Quæque diu meritus, præmia digna refers;
Si morum probitas, mens ſancta ac integra ſemper
Quo ſe commendant, nobile nomen habent;
Neſcio, quo cultu præſtes virtutis an artis,
In Te iuncta valent vincula laude pari,
Ex utriſque lucet, viui DOCTORIS imago,
Firmior ergò manet læta corona TIBI,
Quam doctrina & virtus æquo iure tuentur:
Diuinam tali quis denegaret opem?
Omnis ſic ſalutaris erit futura medela.
Sic patriam recreat ſpeſque ſaluſque TVA,
Sic iuuat excitos fructus extendere factis,
Sic iuuat ardentes fundere mente preces.
Præ reliquis mea pectora, AMICE, mouentur
Lætus abis, ſed me triſtia fata tenent.
Eximius candor rarus raris in amicis,
Non fucata fides atque benignus amor
Sic me, fortuna dubia dominante, leuarunt,
Iunctior ut fiat - - neſcio, nemo mihi.
Mente pia grataque precor modo; creſcito felix,
Sit longæua ſalus, & bene cuncta fluant.
Optimus ipſe Deus Medicus tuus alter in arte,
Sic memor eſto mei, DOCTOR AMICE, Vale.

Pro tot eximiæ beneuolentiæ ſpeciminibus monumentum animi eiusque gratiſſimi in præclare doctum Dn. Candidatum amicum ſuum integerrimum verſibus hiſce ſtatutum it

IOH. ALB. FRIDR. ENCKELMANN,
Med. Cult. OPPON.

Gaudet amicus amici propter proſpera quævis
Sic lætor iuſto iam, dum TV FAVTOR AMANDE
Aſcendis, capturus laurea digna, cathedram
O faxit Numen TE terque quaterque beatum
Et actis & cœptis annuat ſummus olympi
Ac artis faciat lumen TE grande decusque
Sicque vivens felix diu perage Neſtoris annos
Olim TVque mei non immemor eſſe memento.

Sic ſcribit, ſic cogitat & fauſta quæque precatur Fautori ſuo doctiſſimo Dn. Doctorando WEBERO, qui ulteriori, eius favori & amicitiæ optimum in modum ſe commendat,

WOLFG. SAM. GRÆF,
Med. Studioſ.

Sic plaudo lætus fauſtis ſucceſſibus Aucto
Inſtar quem fratris per fratrem, gaudeo, nactus,
Iam ter ſub nive terra latet, cum languidus eſſet
Febris acutæ æſtu frater, prodebat amorem
O! fidum tunc pectus, quod TIBI competit usque,
Id me, dum novi laudans, obſtrinxit eodem.
Gratulor ergo TIBI, ſacram MERITISSIME laurum
Itaque percipias nunc præmia iuſta laborum,
Ferque TVIS decus, patriæ feliciter artis,
Eius dupliciter compos, DOCTISSIME fructus,
In natale ſolum i pede fauſto. Vive beatus.

Digniſſimo Dn. Doctorando, Fautori ſuo honoratiſſimo, ſeſe in æternum commendans, in noſocomio Orphanotrophei Glauchenſis manu clinica ſcribebat

IOANN IACOB. MANN,
Reutlingenſis.

A